



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. VI. Normam & caussam virtutis esse rectam rationem.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

26 GULIELMI SCRIBONII
nomothetæ leges ferunt, quibus præmia bo-
nis viris decernuntur, improbis verò pœna.
Sequitur ergo, assuefactione, itemque exerci-
tio & voluntate hominū potius virtutes com-
parari, quam à natura ingenerari.

Consequentiam illam plenius comprobet.

Quia nisi nostra industria & diligentia ac-
quiri possent virtutes: certe leges omnes im-
tiliter proponerentur, quibus boni ad res præ-
claras excitantur.

Ergone contra naturam nobis virtutes insunt?

Nequaquam. Nati enim factique sumus ad
percipiendas eas natura, & efficiendas cōsue-
tudine; hoc est, Igniculi virtutum nobis insiti
sunt, qui tandē usū & exercitatione excolum-
tur plenius & perficiuntur.

CAP. VI.

Normam & causam virtutis esse rectam
rationem.

*Quenam igitur tandem præcipua est causa
virtutum civilium?*

Recta ratio.

Quid hac appellatione ulterius intelligitur?

Mens judicans, & voluntas illi obtemperās.

*Quales igitur debent esse actiones, quibus perve-
niatur ad virtutes?*

Necesse est eas congruere ad rectam ratio-
nem: id quod fit, si certa quadam moderatio-
ne ab extremis recedant.

CAP.